$3\frac{1}{3}$—$1\frac{3}{4}$ poll. longa, $1\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ lata. *Singuli ramuli* (breves et paucifolii) media altitudine vel apice unum vulgo *pedunculum* compressum uncinato-recurvum $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll. longum proferunt. *Flores* omnes ceciderunt; unum tantum exiguum alabastrum partim destructum vidi. — *Madagascaria*, regio borealis occidentalis: PERVILLÉ n. 396.

ARTABOTRYS ODORATISSIMUS R. BR. — Specimina *sumatrana* foliis duplo maioribus a iavanicis, quae BL. descripsit, differunt, conspecifica tamen habeo. *Folia* e basi acuta elliptico-oblonga abrupte obtuse acuminata, 6—7 poll. longa. *Petala* utrinque pubera, basi densius, exteriora fere pollicaria latiuscule lanceolata acutiuscula, interiora breviora et angustiora; *calyx* intus glaber, extus puberulus. *Stamina* numerosa, connectivi processu haud valde dilatato, sed convexiusculo subrotundo pulverulento. *Carpella* in *tori* vertice pilosulo 8—12, glabriuscula ovoidea, *stigmate* ovato acutiusculo deflexo. — Numero carpellorum parumper maiore a vulgari forma etiam recedere videtur. — E pedunculi communis basi passim folium normale efformatum vidi. — *Sumatra:* KORTHALS. — *Timor?:* SPANOGHE (sed flores desunt, unde haud omnino certum).

ARTABOTRYS BLUMEI HOOK. *fil.* et THOMS. *Pedunculus fructifer* valde incrassatus lignosus; *tori* basis nunc in longitudinem aucta, unde apex convexus in altum elevatus.

ARTABOTRYS INTERMEDIUS HASSK. — Specimina authentica ex *Hort. bog.* examinavi: *innovationes* rufule strigosae, cito glabratae, ita ut ramuli cum *foliis* adultis glaberrimi. Haec *petiolis* haud crassis antice canaliculatis 2—$1\frac{1}{2}$ lin. longis suffulta, e basi attenuata acuta obverse elliptico-oblonga usque sublanceolata, in acumen longiusculum obtusiusculum desinentia, alia minora elliptica oblique acuminata, 7—$2\frac{1}{2}$, vulgo circiter 5 poll. longa, costulis tenuibus pluribus patulis extrorsum laxe reticulatis. *Pedunculi* perquam compressi, $\frac{3}{4}$- in fructu ultrapollicares minusque compressi. *Pedicellus* semipollicaris. *Sepala* lato-ovata acuta dorso adpresse pubera, intus praeter basin strigillosa. *Petala* magnitudine *A. polygyni*, ima basi tumida ochraceo-villosa, caeterum adpresse pubera, *exteriora* anguste lanceolata fere pollicaria $1\frac{3}{4}$ lin. lata, *interiora* paullo breviora magis ovalia acuta. *Torus* apice inter carpella pilosulus. *Stamina* numerosa cuneata, connectivi processu ovato-truncato superata. *Ovaria* glabra ovoidea subinaequilatera, apice attenuato brevi *stigma* oblique incrassatum incurvulum ferentia; *immatura* grossificantia non stipitata, sed basi constricta, oblonga. — Bona species videtur, ab *A. polygyno* iam carpellorum numero et forma diversa, foliis etiam maioribus, siccatis pallidis, minus firmis. *Petala* in hac ut in plerisque Anonaceis pro varia evolutione satis ludunt; iuniora elliptica, dein oblonga, demum magis linearia evadunt. — Colitur in h. bog., probabiliter in *Iava* indigenus.

ARTABOTRYS SUMATRANUS MIQ. distinctissima species est, ab *A. suaveolente* multo magis distans quam olim credidi, floribus subfasciculato-confertis rigidis maioribus singularem habitum prae se fert. — In *Borneo* habitum paullo diversum induit, *foliis* longioribus, elliptico-oblongis, deorsum magis angustatis, abrupte acuminatis, 7—5 poll. longis; fasciculis valde densifloris; floribus $\frac{3}{4}$ poll. longis. — *Borneo australis*, secus fl. Doesson: KORTHALS.

ARTABOTRYS SUAVEOLENS BL. — Species per totum Archipelagum indicum diffusa, partium magnitudine et habitu variabilis; — *var. parviflora*, floribus minoribus, foliis brevioribus: *Art. parviflorus* MIQ.

Luxuriantia specimina e *Borneo* habeo, *foliis* latioribus et longioribus, floribus semipollicaribus, petalorum laminis angustissimis; *baccis* e singulo flore 2—1 ovalibus obtusis. — *Sumatra*, in sylvis m. Melintang, secus fl. Salaut; *Borneo australis*, in regione fl. Doesson, in Martapoera, in m. Pamatton: KORTHALS.

PARARTABOTRYS MIQ.

Toro haud excavato a *Xylopia* differt, carpellis definitis ab *Habzelia* HOOK. *fil.* et THOMS. recedit. Ovaria oblonga angulata styloque brevi instructa, et, quod sub accuratiore examine vidi, *biserialiter pluriovulata.* — Si, quod testantur cel. BENTHAM et HOOKER, *Parartabotrys sumatranus* eadem stirps est ac *Xylopia malayana*, haec nostri generi sine dubio adiungenda foret.

1. **PARARTABOTRYS HEXAGYNUS** MIQ. *n. sp.* Innovationes rubiginoso-tomentosae; folia longiuscule petiolata, e basi acuta vel obtusiuscula elliptico- vel saepe obovato-oblonga, passim obovata, breviter obtuse vel acute saepe oblique apiculata pergamacea, supra praeter costam sulcatam glabrata, subtus pallidiora puberula, costulis utrinque 14—12 tenuibus patulis subaveniis; pedunculi laterales brevissimi aut subnulli, pedicello elongato medio unibracteolato; sepala 3 ovato-rotundata brevissime obtuso-apiculata; petalorum lamina lanceolato-linearis, interiora paullo breviora, omnia crassa plana utrinque subcarinato-uninervia; carpella 5—6 hirsutula prismatica biserialiter usque 10-ovulata.

Rami teretes glabrati; *ramuli* patule pubescentes. *Petioli* semipollicares vel paullo longiores pubescentes, in sulco antico pube vulgo ochrascente, uti in costae sulco versus basin. *Folia* in sicco supra nigrescentia laevia, subtus olivaceo-glaucescentia, costulis teneris sed distinctis ante marginem obsolete arcuato-unitis, venis subnullis,

pube diutius praesertim in costa persistente, nunc subgrisea, 6—4½ poll. longa, fere 3—2 supra medium lata. *Pedunculi* laterales et oppositifolii vix lineam longi apice decidue bracteati, *pedicellum* vulgo unum (rarius 2—3) cum calyce intus et extus pubescentem vel puberulum, ½—¾ poll. longum, medio vel parum demissius unibracteolatum exserentes. *Bracteola* ovata obtusa. *Sepala* lato-ovato-rotundata, ex apice rotundato obsoletissime sed constanter apiculata, in sicco nigrescentia, ima basi connata, indumento versus margines densiore leviterque ochrascente. *Petala* biseriatim valvata basi concava genitalia arcte amplectentia, laminis elongatis iam in alabastris erecto-patulis lineari-lanceolatis, a basi inde regulariter angustatis utrinque, ochrascenti-tomentellis, crasso-compresso-planis sed nervo medio obtuso-subcarinatis, haud tamen triquetris vel tetragonis, interiorum paullo brevioribus, 1⅓—1 poll. longis. *Torus* e calycis fundo eminens, foveolatus pilosulus, extrorsum staminifer, vertice leviter convexo pistillifer. *Stamina* pluriserialia cuneiformia, deorsum valde angustata, *antherarum* loculis elongatis sublateralibus, dorso scil. connectivo lineari separatis, vertice eius processu oblique truncato subrhombeo superatis. *Carpella* 6, rarissime 4—5, *ovario* prismatico lineari flavido-velutino-hirtello biserialiter 8- fere 10-ovulato, *ovulis* fere uniserialiter superpositis ovalibus. *Styli* in fl. nondum perfectis breves, *stigmatibus* arcte conglutinatis. *Carpella* matura adsunt, sed dubia, separata; unum obovali-ellipsoideum subsessile semipollicare, pericarpio monospermo; alterum quod prostat usque 6-spermum, seminibus transversis biserialiter alternis, oblongo-obovoideum, vix certe etiam huc referendum. — *Maturi pedunculi* autem in *herb.* DE VRIESE obvii certi, plerumque solitarii, pollicares firmi lignosi, toro parum incrassato laevigato plerumque 4 carpella exserente. Haec brevi-stipitata subglobosa cerasi mole vel maiora ellipsoidea oligosperma leviter vel vix torosa, nigrescentia glabra. — *Sumatra occidentalis*, in sylvis m. Melintang et ad pedem montis Singalang: KORTHALS, DE VRIESE.

CATALOGUS ANONACEARUM, IN ARCHIPELAGO INDICO HACTENUS DETECTARUM.

Adnot. Species continentales heic haud receptae; illae vero quae in ins. Poeloe-Pinang crescunt, additae. — I. S. B. C. significant Javam, Sumatram, Borneum et Celebem.

Tribus I. UVARIEAE BENTH. et HOOK. *fil.*

I. *Tetrapetalum* MIQ. — 1. T. volubile MIQ. (B.).

II. *Uvaria* LINN. — U. purpurea BL. (I. S. B.). — 2. U. ovalifolia BL. (I. S. B.). — 3. U. littoralis BL. (I.). — 4. U. heterocarpa BL. (I.). — 5. U. flava TEYSM. et BINNEND. (Banca). — 6. U. dulcis DUN. (I.). — 7. U. rufa BL. (I.). — 8. U. multiflora TEYSM. et BINNEND. (I.). — 9. U. dasychlamys MIQ. (S. I.). — 10. U. scabra MIQ. (Ceram). — 11. U. cyrtopoda MIQ. (Amboina). — 12. U. atrosticta MIQ. (S.). — 13. U. Larep MIQ. (S.). — 14. U. timoriensis BL. (Timor). — 15. U. Zippeliana MIQ. (Amboina). — 16. U. ptychocalyx MIQ. (S. B.) — 17. U. monticola MIQ. (B.). — 18. U. acuminatissima MIQ. (B.). — 19. U argentea BL. (I. B.). — 20. U. concava TEYSM. et BINNEND. (S.). — 21. U.? subcordata MIQ. (Moluccae). — 22. U. montana BL. (I.). — 23. U. parviflora HOOK. *fil.* et THOMS. (Poeloe Pinang, non vidi). — 24. U. ochroleuca ZOLL. (I.), non vidi, ex fructu nisi polyspermus dictus fere seq. generis. — 25. U. sessiliflora EI. (I., non vidi).

III. *Ellipeia* HOOK. *fil.* et THOMS. — 1. E. Laha MIQ. (S.). — 2. E. gilva MIQ. (B.). — 3. E. cinerascens MIQ. (S.).

IV. *Sageraea* DALZ. — 1. S. lanceolata MIQ. (B.). — An huc Uvaria micrantha HASSK. *Hort. bog. descr. p.* 1? nulli generi apte adscribenda (I.).

V. *Stelechocarpus* (BL.) HOOK. *fil.* et THOMS. — 1. St. Burahol BL. (I.).

VI. *Sphaerothalamus* HOOK. *fil.* et THOMS. — 1. Sph. insignis HOOK. *fil.* et THOMS. (B., non vidi).

Tribus II. UNONEAE BOR. (excl. Artabotryo).

VII. *Cananga* RUMPH. — 1. C. odorata HOOK. *fil.* et THOMS. (I. S. B.).

VIII. *Unona* LINN. — 1. U. discolor VAHL (I. S. B.). — 2. U. dasymaschala BL. (I. S.). — 3. U. stenopetala HOOK. *fil.* et TH. (I., non vidi). — 4. U. subbiglandulosa MIQ. (B.). — 5. U. borneensis MIQ. (B.). — 6. U. costata MIQ. (S.). — 7. U.? sumatrana MIQ. (S.). — 8. U. acuta ZOLL. (I., non vidi). — 9. U. Dunalii WALL. (P. Pinang).

IX. *Meiogyne* MIQ. — M. virgata MIQ. (I. S. B.).

X. *Monocarpia* MIQ. — 1. M. euneura MIQ. (B.).

XI. *Disepalum* HOOK. *fil.* et THOMS. — 1. D. anomalum HOOK. *fil.* et THOMS. (B., non vidi.).

XII. *Polyalthia* BL. — 1. P. cinnamomea HOOK. *fil.* et THOMS. (P. Pinang). — 2. P. obliqua HOOK. *fil.* (B., non vidi.). — 3. P. microtus MIQ. (B.). — 4. P. sakumbangensis MIQ. (B.) — 5. P. macrorhyncha MIQ. (S.). — 6. P. celebica MIQ. (C.). — 7. P. subcordata BL. (I. S.). — 8. P. affinis TEYSM. et BINNEND. (I., non vidi). — 9. P. elliptica BL. (I. S.). — 10. P. miniata TEYSM. et BINNEND. (I., non vidi).